EPICEDIA
IN
Luctuosum atq; præmaturum, beatum tamen
& placidum obitum,
Egregiæ ac virtute præditæ fœminæ
DOROTHEÆ Ohms/
Præstantißimi doctißimiq; Viri
JOANNIS JACOBI TREDERI Civis primarij,
Conjugis dilectissimæ, prid. Calend. Maij, Anno
cIↄ.Iↄc.XXXVII. animam exspirantis,
Conscripta
ad
Leniendam Vidui mæstitiam
ab
Affinibus, Amicis aliisq; condolentibus,



STETINI, Typis DAVIDIS RHETII.

Ad Virum Præstantissimum, Literatissimumq;

Dn. JOHANNEM JACOBUM TREDERUM,

Affinem & Compatrem suum pl. colendum, insperatum quidem, beatissimum tamen conjugis suæ dilectissimæ obitum acerbè lugentem.

Ἐπίγραμμα Consolatorium.

COnjugij sociam lux abstulit ultima mensis,
Eheu! Aprilis, JANE JACOBE, tibi.
Condoleo ex animo, deploroq; tristia fata
Humanæ sortis, quæ quoq; tu pateris,
Usq; adeò humanæ sors currit lubrica vitæ,
Et subito lapsu, quæ modò firma, cadunt.
Grator at Uxori, quæ spretis hisce caducis
Nil firmum in vita nos superesse docet.
Est tua nam Conjunx cœlesti sorte beata,
Et capit ante thronum gaudia summa DEI.
Immoriens CHRISTI merito haut moritura recessit,
Mors fuit huic non mors, sed mera vita fuit.
Namq; ea ducentem CHRISTUM ad meliora secuta est,
Pastorem ut balans concomitatur ovis.
Et nos mortales sapiamus cœlica regna:
Mors certa est, tempus perbreve, vita mala.
Tu verò nimium lacrymari desine quæso,
TREDERE, Affinis: quippe beata jubet.
Et pietas jubet, & reditus spes certa futuri
In cœlis: hac tu spe tua damna leves.
Quam vitæ sociam lux abstulit ultima mensis
Aprilis, reddet ultimus ille dies.

Συμπάσχων *f.*

Laurentius Eichstadius, Medic. D.
& Physicus Stetinensis Ordinarius.

DUm parit, ecce perit, tua conjux, Clare Tredere,
Vixq́; patrem factum te facit, heu! viduum.
Ingens iste dolor, fateor; veruntamen ecce
Non perit, exutô corpore, ad astra migrat.
Ergo conceptos animô depelle dolores,
Atq́; tuam cœlô Conjugem ovare sine.

Condolentiam suam ita testab.

M. Martinus Leuschner Ducal.
Pæd. Stet. Rector.

VIx annus cum dimidio, TREDERE, Maritum
Te vidit: dulcis tam citò ruptus amor.
Heu! modò quæ lætum fecit te prole Parentem,
Tristem nunc viduum funere mersa facit.
Vos equidem longum jungendos rebar in ævum,
Tam sanctâ cernens corda ligata fide.
Sed mirus Deus est, sunt huîc arbitria mira,
Exercet mirô more modoq; suos.
Est huîc consilium sapiens, spectatq; salutem;
Suscitat ipse necans, deijciensq́; levat.

Supremi hon. & piæ condol.
caus. f.

M. Heinr. Kielmannus, Gr. L.
& Poës. Prof. & ConR. Ducal.
Pædag. Stet.

Si

SI media est animæ pars uxor, Amice Tredere,
Te media vitæ parte carere, grave est.
Sed bene habet: Cœlo es media jam parte beatus.
Tristis es? Una tui pars sine tristitia est.

M. Johan. Micrælius.

MIsceri in Orbis hoc theatro tristia
lætis subinde, & permanere perpetim
firmum nihil, mirâ vicissitudine,
Tredere culte, sat potes testarier.
Nam qui, *Deo* favente; nuper factus es
lætus pater, nunc morte conjugis piæ
incedis, ecce, pallâ amictus lugubri.
Sic sæpe castigando nos ad lacrymas
cogit *Deus*, doloris assoletque iis
offerre poclum, impensius quos diligit.
Verùm nimis dolere parce. Namque ea
corpus suum mortale de parentibus
mortalibus sumsit, paratum ut redderet
Morti exigenti jus suum; sed Spiritum
Autor poli & soli dedit. Revertitur
idcirco cœlestem ad domum, sacris ovans
ut cantibus *Jovam* celebret jugiter.
Dies redibit illa, quâ beatius
Vos reddet in consortium summus Pater;

lætis ubi videbitis non amplius
misceri, in Orbis ut theatro, tristia.

M. Ericus Pelshofer, Duc. Pæd. Stet.
SubR. Eloqv. Prof.

Natali, Frater, cecinit tibi concio sortem,
Audiit in nivea quam nova veste cohors,
Illa nec assiduè vultum monstrare serenum
Testata est Dominum, *nec tegere assiduè.*
Præproperâ sortem nec conjux morte fefellit,
Quam sacris simili fata tulere die.
Iam te, cum propior tangat te cura Jehovæ,
Quod statuit, lætâ tollere mente decet.

Fratrem viduum consol. f.
H. T.

QUondam connubio cum sim gratatus amice,
Nunc quoq; mœstitiæ condoleoq; tuæ.
Maximus is dolor est cum disrumpantur amoris
Pectora, quæ junxit copula Sacra *Dei.*
Indiget hinc solido quisqam solamine Verbi
Divini, conjunx morte cui rapitur.
Quod Tibi sufficiens Præconis lingua parabit,
Quâ *Deus* & mentem corq; movere solet.
Literulæ possunt quicquam subnectere amici
Quod revocans mentem, pondere forte levet.
Chara quidem socia hæc, at sit Tibi carius Almi
Consilium, quod non decipit, omne *Dei.*
Jure sibi posci, quos tùm pietate fideq;
Ille habuit charos, morte beare volens.
Annumeranda tua his, monstrare vocatio debet
Ex quâ surrepta est uxor amata diu.

Hoc

Hoc poterit tristes animi depellere curas
Ut capiat requiem mens violata nimis,
Post partum hunc solito pro jure dolore repletum,
Dixerat ut *Christus*, læta perennis erit.

Orbato Conjuge, charissima amico solatii causâ scripsit

Bonaventura Werther.

IN partu grandem parientibus esse dolorem,
Gaudia post partum surgere, Christus ait.
In partu dolor ergò fuit quoq; Conjugi amatæ,
Gaudia post partum, lane Iacobe, Tuæ.
Gaudia sed diuturna minus! nam subsequa tristis
Spicula turbarum gaudia læta necis;
Queis jugulata jacet, post nubila densa doloris
Exsuperata, tui Gemma corusca tori.
Hinc mæres! verùm mœrori figito metam:
Uxoris Soboli cernis inesse Typum.

Lubens lugensq; f.

M. Martinus Bambamius, P.L.
& Sch. Sedin: Sen. ConR.

BUlla velut, summâ quæ mox turgescit in undâ,
Mox vento exiguo pulsa fatiscit, abest.
Sic, hominis florens quæ mox est vita, procellis
Jactata innumeris mox fugit atq; perit.
Nempe mori certum est, satius sed falce necari
Mortis, quàm Martis tela videre trucis.
Ecce, *Dei dono* privatus es, *optume Fautor*,
In terris, dulci conjuge: mœror adest.

Mœror

Mœror acerbus adest, mœror justissimus idem;
Sed vir ne crucies corda dolore nimis.
Omnia nam fiunt bene directore *Iehovâ*,
Cuius decretum vertere nemo potest.
Dicere cuî nemo potis est: tu contrahe vela
Propositi: inde *Deo* quod placet, ipse proba.
Perdita nequaquam est, sed Christo vivit, abivit
In veros plausus gaudia vera ferens.
O verè felix, placidè qui lumina claudit,
Nec mundum curat, morte resurget ovans.

Testandæ condolentiæ ergo fecit
Joannes Remschedius Goslar. Cheruscus
P. Cæs. & Duc. Pædag. Stetin. Musicus.

Dn. Martino Brawern/ Amico suo singulari, matris obitum lugenti.

TE *nuper magnum, fateor,* Martine, *dolorem*
Ex obitu matris mœstô cepisse colendæ.
Hac etenim moriente, Deus κειμήλιον *aufert,*
Quô fuit in Terris Tibi non præstantius ullum.
Verùm quod Dominus *dedit, id quoq; sustulit idem:*
Ergo sit summi benedictum nomen Jövæ.
Sic sanctô fas est cum Jobô (a) *dicere, Rectè*

(a) Job c. 1. v. 21.

Hæc animô tecum si Tu, Martine, *revolvas,*
A charô nimium depelles pectore luctum;
Firmans Te firmô magni solamine Jovæ.
Sicut enim mater (b) *non obliviscitur unquam*
Nati, nec potis est prolis deponere curam:
Sic etiam Te non obliviscetur in ævum
Cœlestis Genitor, qui numine cuncta gubernat.

(b) Esa. c. 49. v. 15.

Vertet

Vertet Hic in lætos fletum, mihi credito, risus,
Inq; beata tuum (c) convertet gaudia luctum,
Quæ certè nunquam poterit quis tollere de Te.

(c) Ioh. [illegible] 20.22.

Consolationis ergò scribebat

Adrianus Nassius.

Colloquium Vidui cum piè defuncta.

Viduus queribundus.

EHeu quid merui? quid promeruêre Penates
Quod cœlô veniant fata dolenda mihi?
Fata dolenda nimis! thalami consorte peremptâ
Jubila lætitiæ jam periêre simul.
Me sine Sole dies cruciant, sine sydere noctes,
Approperoque neci luctibus immodicis.
Non mihi rura placent, nec me demulcet aëdon,
Nec sistit lachrymas barbitos ulla meas.
Quò fugis, ô mea lux, obitu præerepta citatô?
Quæ mihi te sociam fata maligna negant?
Cur mihi non licuit decedere morte priorem
Et canere antè tibi voce gemente vale?
O dolor! ô luctus! nusquam sub Sole poloq;
Nunc medicina mei grata doloris erit.
Surreptô ante diem tantô thalamiq; domusq;
Ornatu, posthac utraq; damna fero.

Defuncta consolabunda.

Quid gemitus poterunt, quondam mihi sola voluptas
Deliciumq;? tuus plangor inanis abit.
Invideasne meæ infaustâ pro luce saluti?
A manibus Domini pulchra brabéa tuli.

Suspirent alii mundi pacem atq; quietem
Lætitia verâ nunc sine fine fruor.
Mitte rigare genas lachrymis: *Deus* ipse levabit
Inflictum vulnus. Vive valeq; diu.

Condol. ergo l. mq; fecit

Joachimus Schawkirch.

Querela Dni. Vidui.

GLeich wie zu selbger Zeit / wann alles frölich blühet /
Vnd man die Wälder / Berg vnd Thäle grünen siehet /
Vor andrn Blumen all' so denn ja können sein /
Das schöne Röselein / lest sehen seinen Schein.
Zu welchen ziehen hin / die Bienen hauffen weise /
Vnd nehmen damit Lust / jhr wollgeschmackte Speise /
Vnd angenemen Safft; sie hebet sich empor;
Jhr helles Kleid das gläntzt von andrn allen vor:
Jhr stattlicher Geruch / ergetzet Muth vnd Sinne /
Das man jhr günstig sey / vnd hertzlich lieb gewinne:
Auch offt der Zephyrus von jhr so wird entzündt /
Vnd bläst aus gunst jhr zu den süssen Liebes Wind.
Ach! aber vnverhofft kompt Boreas gebrauset
Vbers grüne Feld daher / singt / winselt / pfeift vnd sauset
Vnd reist diß Röselein mit Vngemach dahin /
Jhr gläntzende Gestalt bewegt nicht seinen Sinn.
Das außgeputzte Feld hebt an sie zubetrawren /
Die Blumen neben jhr imgleichen auch sich schawren /
Die Bienen ziehen weg aus Angst vnd Bangigkeit /
Verirret hin vnd her vor grosses Hertzeleidt.
Ach! so seyd jhr zuvor / mein Schatz / auch hier gewesen /
Jetz sterbt jhr vnd seyd todt / durch welch ich kunt genesen:
Ach mein gewesner Trost! jetz liegt er nackt vnd bloß /
Vnd kriechet in ein Sarck / vor seines Liebsten Schoß.

O weise

O weisses Röselein! O Krone aller Frawen!
Ach weh! in dieser Zeit mus ich jetz (leyder) schawen
Das euch der bleiche Todt ewr Leben hat gekurtzt/
Vñ aus der schnöden Welt zur Frewd' vnd Ruh gesturtzt.
Doch seyd jhr nu von jhr vnd jhrer Angst gerissn/
Jch aber mus allhier das Creutz vnd Trawren küssen
Vnd wallen in den Welln/ die voller Trübsal sein/
Mein Trost ist nun vor Euch/ Hauß-sorge/ Schmertz vnd Pein.

G. D.
Benjamin Brunow.

NUbila, sic res est, sua quemq; maligna fatigant:
Id quod mali non nescius sat approbo.
En Tecum quando fundo, *Vir Clare*, querelas,
Vix dum mihi pulsus recrudescit dolor.
Communi siquidem jactamur uterque procellâ,
Consors Tibi peramica, virtutis decus
Eximium, Genitorq́; mihi pars maxima vitæ,
Vi Numinis lacrumabili pereunt modô.
Nempe bonos tantùm fati inclementia monstrat,
Nec his diurnandi facultatem sinit.
Sic est! in mediâ tibi mors itione paramur
Vitæ, vagisq́; temporum decursibus
Certus ad interitum peregrando absolvitur orbis.
Verùm ferendo fata vincamus, par est.
Namq; subinde DEI spectant horrore decoro
Vultum, diurno clariorem lumine.
Non omnes pereunt, sed pro brevitate salutem
Vitæ perennem plausibus carpunt novis.

Hæc posthumo p. Denatæ Honori condolens consecrat.
Jodocus Andreas Hiltebrandt.

QVàm consternatus sim, Consobrina colenda,
Cum tua mors inopina meas ferretur ad aures,
Id prohibet magnus, quem cepi, dicere luctus.
Quàm vellem, nunquam me percepisse sinistram
Hanc vocem! Potiùs, canum Te Nestora, vellem,
Vivendo vicisse; diu quò blanda dedisses
Gaudia, delicias, solamina grata Marito,
Atq; seni Matri, charæ soboliq; mihiq;
Heu! jam tres annos orbo. Sed mente ferendum
Est æquâ, nobis quodcunq; immittit Jöva:
Hic relevet nos: Hic sit consolatio nostra:
Hic vertat nostros in dulcia gaudia luctus.
Intereà placidam Tibi, Consobrina, quietem
Opto, dum lætè surgens è pulvere terræ,
Intres cùm Sanctis cœlestia regna Jehovæ,
Quò nos mox velit alma Trias perducere cunctos.

Πενθῶν μετὰ πενθέντων ἔγραψε

Thomas Glocknerus defunctæ Consobrinus.

SI, quæ fecit Adam, pertristia discere damna
Ex mare sive cupis; seu muliere, gement.
Ille, quòd assiduô vultûs sudore parandus
Sit cibus, & miserô vita trahenda modô.
Hæc, quòd percipiat nimios paritura dolores,
Quos superare Viri, jurat & ipsa, malum.
Infelix sanè sexus (si vera fatemur)
Infelix sexus Fœmina, crede mihi.
Nam quos non pariens miseranda subire dolores
Cogitur? Immò necem sæpius illa subit.
Non opus esse puto multis, quibus ista probarem;
Te testem, *Cunjunx Trederiana*, voco.
Tu quoque Lucinam nuper paritura vocasti;
Jam cadis, infelix, jam cadis ante diem.

Non

Non tamen est dubium, *Vir præstantissime*, conjunx
Quin tua sit cœlo, lætaque semper ovet.
Scilicet uxori cœlum pariendo paratur:
Divino veluti pectore Paulus ait. *1.Timoth.2.15.*

Condolens f.
Iohannes Iebsen Sonderburgo-Cimber.

PROSOPOPOEIA DEFUNCTÆ.

AH tua cur nimiô turbas præcordia luctu,
atq; dolore animum, fide Marite, quatis?
Pone modum lacrymis; quòd me rapiente sub umbras
morte, mea ex oculis vadat imago tuis.
Nam mortis lapsus, Christus sed causa salutis:
hinc ego per funus flebile, fœnus ago.
In terris nîl vita fuit, nisi lerna malorum;
sed tecum dulcis vita, Tredere, *fuit.*
Vita fuit morbus, curæq; laborq; perennis;
Tu medicina, quies grata, levamen eras.
Vixi, & quem tecum mihi fata dedére per annum
cursum, perfeci, care marite, torô.
Sed stat cuiq; dies: vitæ transcurrere metam
concessum nulli: Lex data: Fata volunt:
Propterea nîl vota valent, parere necesse est;
quæ semel imposita est Mors, obeunda semel.
Nec damnosa mihi mors est: nam pace quiesco;
me quoq; non posthac ulla pericla prement.
Ergo quid horrescis? mea fata fer Optime conjunx,
discidiumq; animo fer patiente tori.
Olim tempus erit, quod nos conjunget ovantes,
& velut antè, piè mutuus ibit amor.
Interea terris dum ducis tempora vitæ,
sint procul à viduo fata sinistra toro.
Et cùm vita malis scateat, mundana relinquens,
ad cœlum purâ tendito mente. Vale.

Debitæ condolentiæ attestandæ ergò fac.
Mauritius Caroli Boyzenburgi March.

Threnodia Vidui præmaturum, beatum tamen Castissimæ conjugis obitum lugentis.

MOestos cum deceant mœsta, ut proverbia dicunt,
Eheu me summo talia jure decent.
Tristes dic igitur numeros & flebile carmen
Phœbe pater, tristes ferq́; referq́; sonos.
Flebile vos itidem carmen geminate Camœnæ,
Flebile flebilibus munus obite modis.
Si namq; ereptâ turtur Sociâ dolet, atq;
Omne replet gemitu nocte dieq́; nemus:
Cur ego non flerem, cûi (proh) carissima conjux
Occubuit, quæ pars altera cordis erat;
Quam mihi lætitiæ sociam, sociamq́; doloris
Addiderat Numen, præsidiumq́; domûs;
Annos quæ centum fuerat [modò Fata tulissent]
Et proli & domui digna præesse suæ;
Quæ medicina fuit morbi, curæq́; levamen;
Cum quâ perpetuo vivere dulce foret;
In Christo fixam quæ spemq́; fidemq́; locabat;
Quæ purâ coluit simplicitate Deum?
Sed cur me crucio? cur tot suspiria mitto?
Cur tantus torquet tristia corda dolor?
Non equidem injustum, crudelia fata dolere;
Non tamen & lachrymis dedecet esse modum.
Nam mihi quam Sociam cæli terræq́; creator
Abstulit, illam idem nonnè mihi antè dedit?
Quod mihi commisit, repetit; mihi tradita cogor
Reddere, quæ nemo jure negare potest.
Cur mihi displiceat, quod vult divina voluntas?
Impius est culpans, quæ tibi Jova placent.
Propterea vadas mea lux, mea summa voluptas
Ad Dominum, tibi qui gaudia tanta dabit,

Quan-

Quanta oculus nunquam vidit, quanta audiit auris
Nunquam, quanta suo pectore nemo capit.

Contestandæ Domino Hospiti condolentiæ causâ f.

Heinricus Röhlius
Bismariens. Palæo-march.

TRansitus hæc vita est, stadium, cursusq́ perennis,
Quisq́ viatores imitamur.
Omnis homo tenet hanc peregrinus & advena terram,
Ceu primi tenuêre parentes.
Exiguo spatio vitales carpimus auras,
Vix natis mors lumina claudit.
Incolimus Cynici testam, dum carcere clausi
Corporis, hæc volvenda subinde;
Rarò sistenda est, nusquam figenda nec unquam:
Donec conscendamus in astra.
Non nos illecebris mundus demulceat hospes,
Non caupona caro remoretur.
Tendimus in cœlum sedes ubi Iova beatis
Ostendit, lætamq́ quietem.
Quis non mente avidâ præsentia linquere vellet,
Lætusq́ exoptare futura.
Noli igitur nimium subito indulgere dolori,
Quod conjux sit morte perempta.
Evocat è mundo Deus *illam, jamq́ laborum*
Finis adest, requiesq́ parata.
Quam dedit uxorem, rapit hanc, Credere, voluntas
Non tua sit contraria Iovæ.
Non evitabit, peperit quem fœmina, mortem:
Verùm mors hæc janua vitæ.

Casparus Devitius
Pasvvalco-Pomeranus.

Fata

FAta inimica tuos, quid *Avuncule Docte*? Penates
Nunc audent etiam vi violare necis?
Durum proh fatum, dulci *consorte Maritum*
Quod privat, rapiens provida fulcra *Domûs*.
Sed Terrena fugit, nunc diâ vescitur aurâ,
Huius ab exsequiis gloria major erit.
Quod restat, Lacrymas oculis cohibeto subortas,
Namq; terenda via est, omnibus æqua, necis.

συναγλῶς fundebat
Ambrosius Hiltebrandt *Sedinô-Pom.*

O Dolor! ô luctus! num vobis dicite natus?
Pectus num capiat nil nisi triste meum?
Paucos ante annos carus cecidit pater, & nunc
Heu! moritur mater, sola relicta mihi.
Quis mihi nunc solamen erit? quis quæso voluptas?
Quis me nunc operâ consilioq; juvat?
Hoc qui præstarent mihi sunt, proh, morte necati,
Quæ abstulit & matrem, quæ abstulit atq; patrem.
Ah quò me vertam, quæ me nunc æquora, quæq;
Nunc tellus capiant, nescio mæstus ego!
Ad te magne Deus fugio, qui tutor eorum es
Qui genitore carent, qui genetrice carent.
Tu sis defensor: Tu sis materq; paterq;:
Tu me conserva, consilioq; rege.
Interea precor ex animo dulcissima mater,
Vt clauso in tumulo molliter ossa cubent.

Martinus Bravver, præmaturum matris
dilectissimæ obitum miserè
lugens fund:

